VII. Illud tamen esse cognitum debet, quod omnes musicae consonantiae aut in duplici, aut in triplici, aut in quadrupla, aut in sesqualtera, aut in sesquitertia proportione consistant; et vocabitur quidem quae in numeris sesquitertia, diatesseron in sonis; quae in numeris sesqualtera, diapente appellatur in vocibus; quae vero in proportionibus dupla est, diapason in consonantiis; tripla vero, diapente ac diapason; quadrupla autem, bis diapason. Et nunc quidem universaliter atque indiscrete dictum sit; posterius vero omnis ratio proportionum lucebit.

QUID SIT SONUS. QUID INTERVALLUM. QUID CONCINENTIA.

VIII. Sonus igitur est vocis casus emmeles, id est aptus melo, in unam intensionem; sonum vero non generalem nunc volumus definire, sed eum qui grece dicitur ptongos, dictus a similitudine loquendi, id est ΦΘΕΓΓΕΣΘΑΙ. Inter vallum vero est soni acuti gravisque distantia. Consonantia est acuti soni gravisque mixtura suaviter uniformiterque auribus accidens. Dissonantia vero est duorum sonorum sibimet permixtorum ad aurem veniens aspera atque iniocunda percussio. Nam dum sibimet misceri nolunt et quodam modo integer uterque nititur pervenire, cumque alter alteri officit, ad sensum insuaviter uterque transmittitur.

NON OMNE IUDICIUM DANDUM ESSE SENSIBUS SED AMPLIUS RATIONI ESSE CREDENDUM. IN QUO DE SENSUUM FALLATIA.

Sed de his ita proponimus, ut non omne iudicium sensibus demus, quamquam a sensu aurium huiusce artis sumatur omne principium. Nam si nullus esset auditus, nulla omnino disputatio de vocibus extitisset; sed principium quodammodo et quasi admonitionis vicem tenet auditus, postrema vero perfectio agnitionisque vis in ratione consistit, quae certis regulis sese tenens nullo umquam errore prolabitur. Nam quid diutius dicendum est de errore sensuum, quando nec omnibus eadem sentiendi vis nec eidem homini semper aequalis est? Frustra autem vario iudicio quisquam committet quod veraciter affectat inquirere. Idcirco Pythagorici medio quodam feruntur itinere. Nam nec omne iudicium dedunt auribus, et quaedam tamen ab eis non nisi auribus explorantur. Ipsas enim consonantias aure metiuntur, quibus vero inter se distantiis consonantiae differant, id iam non auribus, quarum sunt obtusa iudicia, sed regulis rationique permittunt, ut quasi oboediens quidam famulus sit sensus, iudex vero atque imperans ratio. Nam licet omnium paene artium atque ipsius vitae momenta sensuum occasione producta sint, nullum tamen in his iudicium certum, nulla veri est comprehensio, si arbitrium rationis abscedat. Ipse enim sensus aeque maximis minimisque corrumpitur. Nam neque minima sentire propter ipsorum sensibilium parvitatem potest, et maioribus saepe confunditur, ut in vocibus, quas si minime sint difficilius captat auditus, si sint maxime ipsius sonitus intentione surdescit.

QUEMADMODUM PYTHAGORAS PROPORTIONES CONSONANTIARUM INVESTIGAVERIT.